Dietericі, Karl Ferdinand

Num recte Ad. Smithius contenderit

Berolini

[1858]

98-84436-5
MASTER NEGATIVE #

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DIVISION

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

ORIGINAL MATERIAL AS FILMED -- EXISTING BIBLIOGRAPHIC RECORD

330
Sm527

Dieterici, Karl Ferdinand, 1835-
Num recte Ad. Smithius contenderit, sortem in agricultura positam et singulorum, et universorum opulentiae esse commodissimam ... Berolini, G. Schade ⌊1858⌋
63 p.

Thesis, Berlin.

1. Smith, Adam, 1723-1790. ⌊Inquiry into the wealth of nations⌋

NNC


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 9:1 IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 11/11/98 INITIALS: N.V.

TRACKING #: 33215

FILMED BY PRESERVATION RESOURCES, BETHLEHEM, PA.



100 mm
A5
1.0
1.1
1.25
1.4
1.6
1.8
2.0
2.2
2.5
2.8
3.2
3.6
4.0
4.5
5.0
5.6
6.3
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890
1.0 mm
1.5 mm
2.0 mm

Dieterici:
Num recte Ad. Smithius
contenderit.

NUM RECTE AD. SMITHIUS CONTENDERIT, SORTEM IN AGRICULTURA POSITAM ET SINGULORUM, ET UNIVERSORUM OPULENTIÆ ESSE COMMODISSIMAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIII. M. JUNII A. MDCCCLVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS FERDINANDUS DIETERICI

BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

GUILHELMUS FABRICIUS, REG. JUD. CAM. REF.

GUILHELMUS SPRINGORUM, CAND. JUR. ET CAM.

AUGUSTUS OVERWEG, CAND. JUR. ET CAM.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

VIRO ILLUSTRISSIMO

HENRICO WENZEL

REGI A CONSILIIS INTIMIS, ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN CLASSE QUARTA EQUITI

NEC MINUS

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

HUNCCE LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D.

AUCTOR.

NUM RECTE AD. SMITHIUS CONTENDERIT, SORTEM IN AGRICULTURA POSITAM ET SINGULORUM, ET UNIVERSORUM OPULENTIAE ESSE COMMODISSIMAM.[1])

Et memoria omnium aetatum docet, et res ipsa quotidie ostendit, quum singulos homines, qui sortem (Capital) ac laborem in iis, quae quaestus causa tractantur, negotiis, velut in fabricatione mercium (Fabrication) et mercatura ponunt, tum universas nationes talibus studiis deditas, ut opes politicas omittam, laetissima florere industria. Cui quaestus generi dediti persaepe ante non modo ad florentem rerum conditionem, sed etiam ad divitias perveniunt, quam tales aut gentes, aut privati, qui sortem ac laborem nisi in agricultura non collocaverunt. Quin etiam et histo-

1) Ad. Smith: An inquiry into the nature and causes of the wealth of Nations; by J. R. Mc Culloch lib. II. Cap. 5. S. 161. The capital employed in agriculture, therefore, not only puts into motion a greater quantity of productive labour than any equal capital employed in manufactures, but in proportion, too, to the quantity of productive labour which it employs, it adds a much greater value to the annual produce of the land and labour of the country, to the real wealth and revenue of its inhabitants. »Of all the ways in which a capital can be employed, it is by far the most advantageous to the society.«

ria, et quotidiana rerum experientia comprobat, quibusdam temporibus atque in quibusdam civitatibus pecunias in mercium fabricatione et mercatura collocatas et a singulis hominibus, et ab universis nationibus adeo iis, quae in agricultura ponuntur, anteponi, ut etiam hodie multi agri ad colendum aptissimi in regionibus talium civitatum inculti iaceant, quum hae civitates fabricatione mercium et mercatura, quae iis cum remotissimis terrarum partibus intercedit, ad summum florem pervenerint. Ac ne longe abeam, in Britannia ipsa, in qua agricultura tantopere exculta est, etiam nunc multum agri omni cultu vacat. Quin etiam Porter in libro, qui inscribitur: The Progress of the Nation: (Nova editio 1851 p. 160) ex omni regni Britannici superficie, quae complectitur 77,394,433 iugera (Acres), in Anglia, Vallia, Scotia, Hibernia insulisque Britannicis, 46 722,970 iugera coli, 15000000 inculta et 15,871,463 sine ullo fructu esse, (unprofitable) ostendit. Illa centies quinquagies centena millia iugerum incultorum quintam propemodum partem totius superficiei efficiunt. Etiam Hamer, consiliarius provincialis (Landrath), in statistica descriptione circuli Solingensis (p. 46) hoc in circulo hominibus frequentissimo etiamnunc 7205 iugera (Morgen) i. e. sextam decimam fere partem huius regionis, 5,1 milliaria quadrata tantum amplectentis ut loca deserta (Haideboden) inculta iacere narrat.

Illud quod supra posui et universos, et singulos homines non semper in agricultura prosperrime pecunias collocasse, id verum esse, iam in antiquitate Carthago

eiusque urbes patriae Sidon ac Tyrus, in medio aevo civitates Italicae, Venetiae et Genua, et hodie Britannia documento sunt; Ad. Smithius in libro, quem scripsit de natura et causis divitiarum gentium probat[1]).

Tantum verum abest, ut harum rerum a se probatarum explicationem, sententiam suam sequens in quaestuum natura, quae ad fabricationem mercium ac mercaturam pertinent, quaerat, ut eas ex vitiosa disciplina publica, quae amplificationem agriculturae impediverit et retinuerit, ortas esse contendat.

Si studiis populorum in adipiscenda, quam maxima prosperitate (Wohlstand), ut putat Ad. Smithius, non artificio quodam impedimenta institutorum publicorum essent objecta, sors et labor, uti natura fert, non tanto cum fructu in fabricatione mercium et mercatura collocata essent, sed potius in agricultura, negotio, quod suapte natura maxime fructuosum esset habendum.

Causam vero, cur agriculturam suapte natura omnium quaestuum fructuosissimam esse censeat Ad. Smithius bre-

---

[1]) We see, every day, the most splendid fortunes that have been acquired in the course of a single life by trade and manufactures, frequently from a very small capital, sometimes from no capital. A single instance of such a fortune acquired by agriculture in the same time, and from such a capital, has not, perhaps, occurred in Europe during the course of the present century. In all the great countries of Europe, however, much good land still remains uncultivated; and the greater part of what is cultivated is far from being improved to the degree of which it is capable. — (Ad. Smiths National-Reichthum, herausgegeben von J. R. Mc Culloch. S. 167.)

vitur in his videt: Laborem, sortem, fundum, tres illos divitiarum esse fontes, quibus in communione civili homines consequantur omnes res ad vitam necessarias. Hi tres divitiarum fontes coniuncti vim habent ad agriculturam non ad quaestum, ad fabricationem mercium mercaturamque, in quibus non paratae sunt naturae opes. Ita Ad. Smithius, in quaestu, fabricatione, mercatura nihil nisi laborem pecuniamque efficacem esse iudicat.

Concedit ille quidem atque affert, ad agriculturam quoque valere laborem pecuniamque, sed in agricultura praeterea, (quod in ceteris, ex quibus aliquid acquirunt homines, rebus, non ita est) salarium (Boden-Rente) quoque accedit. Quod salarium re vera per se cogitabilem et constantem divitiarum esse fontem (Güterquelle), qui ad agriculturam valeret imprimis demonstrat Ad. Smithius ex Kelp, salsa quadam herba, quae in maris saxis crescens culturam non recipit, sed cuius perceptio compensatur possessoribus. Optime vero fundum bonorum fontem, per se constantem in se habere apparet ex negotio contracto census emphyteutici (Erbzinspacht), sive instituto illo iure Romano emphyteutici, quo possessori tantum in recognitionem dominii pretium conducti datur, si agrorum partes in agricultura, aut propter sterilitatem, aut quod a medio rei rusticae loco nimis longe absunt, cura sedula non coluntur, hominibus humili loco natis, qui eas nihilominus colere volunt, parva mercede traduntur, ut census emphyteuticus. Accipit igitur cum vectigali illo ex fundo soloque suo, adhibito ne minimo quidem labore, aut data

pecunia unquam hanc ad rem fructum illum solarii possessor. Quae steriles agrorum partes quum solarium praeberent, multo majus praebituras esse fertiles Ad. Smithius arbitratur.

Naturae opes, quas fundus solumque continet, quarum fructum tantum secundum illas iuris conditiones colonus et emphyteuta solarium dat, fundamenta sunt illa, in quibus laborem pecuniamque ponit agricola. Id solum meditatur, ut ex naturae opibus illis diligentia sua ac pecunia fructus capiat quam uberrimos, atque hac re fundo soloque summam gignendi det facultatem.

Quamquam, quanta sint vi labor pecuniaque ad agriculturam, negari minime potest, quia illis solis fructus ex fonte illo, sito in fundo soloque, capi potest, satis tamen apparet ex Ad. Smithii scriptis, verum fructuum ad rem rusticam pertinentium auctorem non laborem esse et pecuniam, sed naturae opes.

Dicit enim (p. 161): »Planting and tillage frequently regulate more than they animate the active fertility of nature; and after all their labour a great part of the work always remains to be done by her (nature).«

Quin etiam magnitudinem huius, arbitratu suo ad agriculturam tam valentis divitiarum fontis definit Ad. Smithius hisce verbis (p. 161):

»It is the work of nature, which remains after deducting or compensating every thing, which can be regarded as the work of man. It is seldom less than a fourth, and frequently more than a third of the whole produce.«

Ceteros omnes fontes, quibus natio quaedam usuram sibi colligere possit ex sorte, in mercatura et magna, et tenui, et in mercium fabricatione, carere censet Ad. Smithius mirifice valenti illo tertio divitiarum fonte, nihil enim adjuvari natura. — Deinde comparans sortem in agricultura collocatam cum illa, quae est in fabricatione mercium, docet, in agricultura cum tribus eius fontibus divitiarum sortem ad societatis humanae prosperitatem saluberrime poni. —

Ut ex hoc toto apparet, eam quoque vim habere statuit sententiam illam, qua docet, unumquemque, laborem sortemque in agricultura collocantem, summum sibi fructum hac ex re capere posse. Quodsi id contendere nollet Ad. Smithius, ac nihil nisi id dicere vellet: Etiamsi agricola sorte posita fructum uberrimum non capiat universis tamen ea re, ut quam plurimae collocatae sint sortes in agricultura commodum praebetur amplissimum, omnino frustra tanto cum animi ardore demonstrare esset conatus, quo modo suapte natura, agricultura, coniuncta cum tribus ejus divitiarum fontibus, ceteris mercaturis esset uberior; frustra deinde demonstrasset, in agricultura tertiam fructuum partem naturae esse donum, quum in fabricatione et in mercatura auxilium recusare censeat naturam. Etenim si agricultura universis illa quidem saluberrimus esset quaestus, singulis non item, nempe fenerator commodis suis tantum prospiciens, simulac liberum ei permissum est arbitrium, sortem suam in quaestu sibi magis salubri collocaret, atque aegre tantum sortem in agricultura poneret,

damnum quodammodo subiturus sibi videretur, si id faceret. Ex quo sequeretur, ut sortes non in agricultura, sed in alia quadam re collocaret. Quamvis autem optandum sit universis, fenerator tamen sortem in agricultura non collocabit. Quodsi ita res se habet, illa sententia, quam profert Ad. Smithius, nihil nisi desiderium est, quod aliquando possit expleri. Tale vero desiderium, quod ad finem perduci nequeat, profecto argumentatione sua demonstrare noluit summus ille vir Scoticus. Quin etiam satis credibile est ac tempora, quibus illud systema mercantile, ut ita dicam, vigebat, suppeditant exempla, non modo singulos homines, verum etiam universas classes artificio quodam (durch künstliche Mittel) sortes suas magno universorum damno, amplo suo lucro posuisse, itaque suo commodo commodis universorum plane obstruxisse. Quod vero ea sortium collocatio, quae suapte natura universis est saluberrima, non eadem singulis sit, id secum pugnare videtur. Tum enim sors universis saluberrime est collocata, quum illis omni modo summum praebet lucrum, quum eorum opulentia, eorum divitiae maxime hac re amplificantur, ut sibi res ad vitam necessarias, quam plurimas possint comparare, quod aeque valet in singulos. Ac denique plus minusve nationis cuiusdam opulentia ex singulorum, qui nationis nomine comprehenduntur, constat opulentia. Rerum igitur natura non cohibita singulorum commoda cum universorum arcte sunt coniuncta.

Quam ob rem si censet Ad. Smithius, sortem in agri-

cultura positam intima sua natura esse saluberrimam, id quoque censet, optime ita singulos ponere sortes suas.

Itaque si paullulum respicimus argumentationem Ad. Smithii rem maximi momenti, cur agricultura mercium fabricationem mercaturamque multis nominibus superet, solarium sive naturales divitias haberi vult, quem opum fontem huic soli quaestui suppetere statuit.

PARS PRIOR.

Ut igitur Ad. Smithio assentiar, esse re vera in agricultura tres opum fontes, in ceteris omnibus quaestus generibus duos tantum, quaeritur tamen, num inde concludatur, sit necesse, agriculturam eam ob causam et vel maxime eam ob causam uberrimum opum fontem esse habendum.

Si in labore ac sorte cum eiusmodi factoribus, ut ita dicam, res esset nobis, qui ubicunque et quacunque sub forma se ostenderent, semper tamen eiusdem generis ac pariter uberes essent, quis tum agriculturam, quae praeter hos semper pares factores etiam tertium valde adiuvantem habet, fabricationi mercium, et mercaturae, et cuilibet alii quaestui praestare neget? Sed si labor ac sors non semper tales pares sunt factores, sed potius id quod inde nascitur aliqua de causa pro portione maius minusve est, et si porro ostendi possit, aliquam rationem aut sortis solius adhibendae, aut solius laboris, aut denique apte coniunctam sortis et laboris efficientiam in ullo quaestu plane agriculturam optime peractam cum tribus suis opum fontibus copia et ubertate posse superare, omnino nihil intersit, utrum opum fontes tres, an duo, an unus adiuvet, modo hi duo, aut hic unus, certa ratione adhibita, maxime praebeat fructum.

Laborem ac sortem tales semper pares factores non esse, sed potius in maxime diversis quaestibus collocatos eventum plane diversum, etiamsi pretium spectes, habere atque adeo vel in eodem quaestu, et in pari magnitudine efficaces, tamen perraro pariter videri uberes sexcenta exempla e vita quotidiana sumpta declarant. Mercator A. occasionis opportunitate incitatus mille Ioachimicis coffeam bene emit, quam vendit crescente pretio cum fructu 20 centesimarum; mercator B. emit pari summa oryzam et labente pretio, cum iactura totidem centesimarum. — Quas varietates temporis locique opportunitas ac maior minorve necessitas, atque etiam casus varii adducunt, eae hanc ubertatem vel maiorem, vel minorem efficiunt, atque eam ob causam singulas partes infinite persequi nisi velis, de illa ubertate secundum rem singularem quaestio communis institui non potest. — Accedit vero ad varietatem fructus laboris ac sortis pro quaestibus et occupationibus, quin in eodem quaestu, quod utriusque coniunctiones propriam quandam habent vim inter sese reciprocam. Quae inter laborem et sortem vis reciproca in mercatura et fabricatione mercium tam prospera esse potest, ut effectus laboris atque sortis his in quaestibus una adiuvantium effectum laboris, sortis fundique in agricultura vim suam praestantium longe superent. Atque ex sententiis, quas ipse ille Ad. Smithius de sortis atque laboris natura in libro suo nobilissimo explicat, haec laboris atque sortis vis reciproca clarissime elucet. In vita communi efficax fere est neque sola sors, neque labor solus. Utrumque in plerisque hominum occupationibus coniunctim efficax cogitari debet.

In quaestione de sortium origine ostendit Ad. Smithius

laboris divisionem, sententiam illam[1]) omnium animos, quam maxime moventem excitantemque, hominem, ut neque per se singulatim constantem, neque ad se solum redactum vim ullam consequi, ita societate tantum uberius res ad vitam necessarias sibi comparare ad florentemque rerum statum posse pervenire, hanc igitur laboris divisionem originem esse sortium; et e contrario sortes ita ortas summo esse momento ad vim laboris.

Quae vis mutua eius modi est, ut in societate civili mutuo quodam vinculo inter se sint coniuncta labor ac sors, ut in omnibus maioribus inceptis (Unternehmungen) laboris divisio, nulla sorte subiecta, et sors efficiens labore non diviso cogitari vix possit.

Labore diviso varia quaestuum genera vigent. Laboris autem divisio, ut semel iterumque demonstrat Ad. Smithius, nisi adhibita sorte cum prospero successu institui non potest. Homo in labore diviso in certo quodam quaestu, in re quadam necessaria sive supportanda, sive procreanda continuo occupatus, copiam habere debet, cui propriam quandam impendat sollertiam, alteram porro copiam habere debet, quae ei usque ad perfectionem operis suscepti ad hanc unam rem incumbenti victum praebeat necessarium. Et contra. — Labore demum diviso, ea demum re, quod sibi quisque parvum spatium et certum sollertiae quaestum

[1]) *Πλάτωνος Πολιτείας β'.* 369. — *Γίγνεται τοίνυν, ἦν δ' ἐγὼ πόλις, ὡς ἐγῷμαι ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής .... — Οὕτω δὴ ἄρα παραλαμβάνων ἄλλος ἄλλον ἐπ' ἄλλου, τὸν δ' ἐπ' ἄλλου χρείᾳ, πολλῶν δεόμενοι, πολλοὺς εἰς μίαν οἴκησιν ἀγείραντες κοινωνούς τε καὶ βοηθούς ταύτῃ τῇ ξυνοικίᾳ ἐθέμεθα πόλιν ὄνομα.*

eligere possit, animorum ingeniorumque facultates, artes, litterae ad certum culturae fastigium perveniunt, reservari potest et colligi sortium copia.

Ut vero nunc discernamus, quemadmodum labor et sors in hominum occupationibus variam habeant vim, haec consideramus duce Ad. Smithio. Primo varia sortis laborisque genera, deinde terminos natura quaestuum variorum sortis laborisque pro efficientia sociata varie definitos. Quae si sequi volumus, pro variis sortis adhibitae generibus, quodque hac cum re est coniunctum, pro variis laboris adhibiti generibus, partim agricultura, merciumque fabricatio, partim mercatura sese opponunt.

Etenim ex tribus illis, quibus sortem possidet natio, modis primum discernit Ad. Smithius copiam ad populi victum necessariam, deinde sortem stabilem possessorem non mutantem, attamen fructuosam, tum sortem mobilem, cuius id signum est, quod vicissitudine tantum, quum de manu in manum traditur, est fructuosa. Illa, quam primum dixi, copia, in cursu commentationis nostrae locum non obtinebit. Est tantum, hominum frequentia ut sustentetur; pars est eius, qui ex labore sorteque capitur fructus atque interest tantum nostra ostendere, quomodo labor ac sors efficiat illam copiam.

Secundum Ad. Smithii opinionem in agricultura ac mercium fabricatione inprimis sors stabilis, in mercatura autem sors mobilis efficax est.

Quid intelligimus sortem stabilem? Illa rerum pretium habentium copia, quae a singulis vel rebus, vel hominibus consumitur, sed ita consumitur, ut fructus uberiores denuo proferendo sive, ut ita dicam, reproducendo, capiantur, et

res singulae vel homines singuli uberiores ditioresque reddantur; haec est sors stabilis. Item haec sors stabilis pretii auctio est, quae rem quandam haud raro tamquam in novam mutat et quasi novum aliquid efficiens cum ea se coniungit. Quae denuo efficiens seu reproducens consumptio fructuosa est

in omnibus instrumentis, machinisque, omnibus domibus, quae velut instrumenta destincta sunt, unde iis lucrum capiatur,

in omnibus agri melius colendi rationibus,

in omnibus denique quae utilitatem aliquam afferunt, facultatibus.

Sorti stabili contraria est sors mobilis, quae ut transeam propriam illam qualitatem, ex qua ipsa possessoris vicissitudine fructum fert, eam ob caussam a priore ita differt, quod non in consumptione reproductiva collocatur, quod non rei vel singulari homini qualitatem omnino novam attribuit. — Multo magis efficientia eius quum in materiis comparandis cernitur, quibus sorte stabili pretii auctio addi potest, tum in dividendis fructibus sortis stabilis efficientia partis. Ex qua divisione, et apparatu sors mobilis fructus suos capit et secundum Ad. Smithii opinionem constat ex pecunia, ex alimentis venalibus, ex materiis crudis, ex mercibus, quae sunt in mercatoris manibus. Cf. Ad. S. lib. II. principio.

Illa vero pro notione separata sortis genera re vera se permiscent, ut nunquam sors aut stabilis, aut mobilis per se sola efficax cogitari possit. Praediorum possessori, qui in instrumentis rusticis, in stabulis, amplificationibus et quae sunt eiusdem generis, sicut fabricae domino, qui in

aedificiis magnificis et machinis sortem stabilem collocavit, sors mobilis tamen necessaria, atque ea de causa illam possidet, ut habeat pecuniam, qua praemio afficiat operarios, et materias crudas emat, sive ut aliquos victus venales ad merces manu factas sibi paret. Et contra. Sors mobilis mercatoris sine stabili, quae navibus, horreis aut aliis mercium receptaculis continetur, nullam vim habet. Sors mobilis est in agricultura, et in fabricis, quasi fons agendi quidam, ut ita dicam, et auxilium haud mediocre stabilis illius sortis in quaestu illo efficacis, aeque ac stabilis sors, quae mobili in mercatura praeponderat, opem fert. Verum licet vis reciproca duorum illorum sortis generum adsit, tamen agricultura et mercium fabricatio contraria erunt mercaturae. Nam primum in agricultura merciumque fabricatione sors stabilis, in mercatura sors mobilis fructuosa est, quum invicem mobilis, vel stabilis ut subsidia accedunt; deinde in agricultura merciumque fabricatione labor sortis ope ad gignendam aliquam rem ad vitam necessariam adhibetur, in mercatura sors laboris est materia. Dum enim ut illic labor sortis stabilis accessione, ita hic sors mobilis laboris accessione ad fructus quam uberrimos adducenda est.

Sin autem agricultura merciumque fabricatio easdem habet leges, vel potius ad unam categoriam, ut ita dicam, pertinent, quum in utraque sors stabilis maiore sit pondere, iam ista similitudo ad utriusque comparationem nos incitabit, et habemus ad hanc rem confirmandam, ut declarat Albrechtus Thaer (Prooem. lib. V. rei rusticae rationalis) multas alias rationes, praecipue in inceptis maioribus utriusque illius quaestus. Non sola sors, nam ostendimus iam

in utroque quaestu parem esse efficacem divitiarum fontem, sed labor potius, quomodo sorte adiuvetur, differentiam dabit.

Ratio, qua inter se coniuncta sunt, labor ac sors, id est, termini natura sociatae efficientiae laboris sortisque varie in utroque illo quaestu definiti declarabunt tum mercium fabricationem, etiamsi concedimus, eam carere divitiarum fonte in agricultura praepollenti, ad effectum maioris ubertatis nihilominus adduci posse. — Est vero labor in agricultura merciumque fabricatione sorte adiutus tum labor eius, qui aliquid suscipit, fabricae domini et praediorum possessoris, tum labor efficiens opificis et agricolae.

Quod igitur ad primum illud attinet, crederes, sollertiam possessoris fundi, quae praeter probam universi gubernationem in eo vel in primis constat, ut sapienter utatur, sorte stabili in fundo soloque suo collocata, et his vel illis amplificationibus recte ac secundum rei rusticae normam bene adhibitis, si minus maius lucrum attamen certius assequatur, quam sollertia sua fabricae dominus.

Primum fundi possessor recta gubernatione et sorte apte collocata ea efficit, quae haud dubie omnibus ad victum cultumque maxime sunt necessaria; eam ob causam earum rerum, quas procreat, emptores se reperturum certo confidere potest.

Tum industriam eo convertit, ut fructus capiat ex inhaustis naturae opibus, quae fundo soloque sunt datae, et quodammodo tantum culturae amplificationi deditus simul fructum capit ex labore et sorte, quae maiores ipsius indefesso studio in fundo soloque ad usuras accipiendas collocarunt.

Nonne est tali modo, ita quaeritur, ad quam maximam amplificationem industriae fundi possessori utilissimae unaquaeque data conditio? Gignit fructus maxime necessarios, non ei est cum sorte sua novus, fortasse periculosus conatus suscipiendus, sed eam adhibuisse in tuto fundo satis habet, ea tantum ad finem perducit, quae semel incepta a natura ipsa ita adjuvantur, ut, quemadmodum Ad. Smithius contendit, tertia fructuum pars illius sit donum.

Ac si primo adspectu dicas, industriam fundi possessoris infinite augeri posse, vel potius nullis omnino certis finibus videri circumscriptam et etiam rationem, quae inter laborem et sortem intercedat, quam maxime opportunam fieri, contra industriam domini fabricae primo adspectu multo fallaciorem, minus fructuosam multoque magis certis finibus habeas circumscriptam.

Quamvis enim ille quidem plerumque fructum, ut omnes concedent, valde utilem gignit, tamen non ad victum cultumque maxime necessarium. Populi consumptio, quae ad vectimenta aliasque res manu factas pertinet, valde coerceri potest, consumptio frumenti aliorumque alimentorum quodammodo tantum. Nam, etiamsi iis annis, qui annonae caritate laborant, a populo minus consumatur, quam iis, qui sunt fertiles, hominibus tamen alimenta pernecessaria negari nequeunt.

Multis locis fabricae dominus non, ut fundi possessor, cum sua sorte collocanda sorte maiorum indefesso studio tuto beneque collocata et labore bene adhibito nititur. Non pergit iacto firmo fundamento aedificare, sed solus pro se cum sua sorte plane novum, fortasse audacem conatum suscipit.

Verum si cum sorte sua maiorum industria nititur, quam lubrico fidit fundamento? Nova quaedam inventio, quae pertinet ad machinas, ei erit inducenda, ne quam iacturam faciat, aut detrimentum capiat; saepe accidit, ut eam ob caussam summae commutationes adducantur. Tum sunt instituta eorum, quibus succedit, magis impedimento quam emolumento. — Sunt etiam nunc in republica Borussia, in primis in Guestphalia, permultae parvae fabricae, quarum ope lana arborea netur, in quibus per apparatus summe simplices fila nentur. In his vis movens saepe tantum hominum manus est, interdum parva aquae vis, raro parva machina vaporum vi mota. Tales nendi machinae nisi tantum mercium non proferunt, quantum usitatae et parvae venditationi inservire possit, et quae nihil prope valent, si eas comparamus cum magnis illis exemplo Anglico constructis lanae arboreae machinis, quarum nulla minore pretio, quam centenis et quinquagenis millibus Ioachimicorum parari potest, quarum ubi numerus satis magnus erit, parvas illas fabricas plane oppriment.

Denique nonne industria domini fabricae, quae, ut statuit Ad. Smithius, nullo modo natura adiuvatur, quae tantum in re singulari fabricanda versatur, quotannis quae huic uni nexa est, quaeque quum in eius locum melior succedit, nihil habet, in quo se exerceat, multo periculosior est, eademque multo magis certis quibusdam finibus circumscripta, quam industria fundi possessoris, quae non tam ad gignendam quandam rem singularem confertur, sed in omnes partes cum emolumento extendi potest, omnique modo a natura adiuvatur? — Nec tamen ita res se habet.

Nam quod ad primum illud attinet, quo demonstratum est, fundi possessorem res plane necessarias afferre, fabricatorem non item, hoc certe negari non potest.

At simul nulla paene res reperitur, cuius pretium tantopere etiam brevibus temporis intervallis vacillet et mutabilis sit, quam ipsius frumenti rerumque ad vivendum necessariarum. Multae tabulae pretiorum frumenti, praecipue in prioribus saeculis confectae ostendunt, quam mirifica harum rerum pretia fuerint vacillatione ac mutabilitate. Ad. Smithius iam tabulis, quas ab anno 1202—1597 ex Flentwoodii, episcopi collectionibus sumpsit, quasque ab anno 1597—1750 ipse collegit, magnas in Britannia annonae pretii varietates fuisse demonstrat. Bowringius relatione de Germanica vectigalium societate, quam Zollverein nos vocamus (1840) in brevi conspectu ponit pretia singulorum inter se collata, quibus varia frumenti genera Regiomonti (cf. append. p. 29) ab anno 1700—1838 venibant, quibus annis, ut hoc utar, si spectes triticum tam propinquis annis, quales fuere 1825—28 pretiorum varietates a 180 usque ad 590 i. e. ut 100:328 reperiuntur. Similem pretii, quo ab anno 1624 in foro Berolinensi frumentum vendebatur, fuisse varietatem, discimus ex relationibus statisticis Berolini anno 1853 editis. Secale, primarium nostrae regionis alimentum, vel nuperrime ab 1843—46 differentiam habebat $34\frac{8}{12}$ usque ad $65\frac{11}{12}$ id est ut 100 : 191.

Nunquam talis pretii vacillatio ullius fructus eius auctori opportuna esse potest. Unde tam mirificae annonae vacillationes oriantur satis explicare non audeam, sed partim causa eo contineri videtur, quod is, qui consumit in

frumento ceterisque, quae ad victum pertinent, rebus, non tam fundi possessori sortem aliqua in re collocatam, ac mercedem laboris compensat, quam potius id, quod a natura est oblatum, pecunia sibi parat. Quod quamvis magnum naturae domum, pendet ex iis omnibus, quae quidem fieri possunt, sed quae nullo modo ad calculos vocari possunt, id est ex causis fortuitis, quae non sunt in potestate nostra. Pluviae maximo sunt emolumento fundo ac solo alius possessoris, alii perniciosae. Etsi vero apparet maiorem minoremve messis ubertatem, ad annonam summo esse momento, ea tamen res pretiorum varietatem in tam prosperis, quae hodie vigent, atque opportunis mercaturae et praesidiis et coniunctionibus non unice efficiat. — Etiam alia vitia, vel potius defectus agriculturae habet fructus, si cum re fabricae ope facta comparamus. Omnis prope res manu facta communicationi est aptior quam agriculturae fructus. Facilius pretio non admodum aucto, eiusmodi res in loca remotissima, ubi earum est penuria transportari possunt, quam victus, frumentum aut fructus solani (Kartoffeln) tuberosi. Unde fit, ut frumentum ibi, ubi maior eius penuria saepe vendi nequeat, facillime autem res fabricae.

Si igitur fundi possessor aut propter vecturae pretium, aut aliis de causis ibi fruges suas vendere cogitur, ubi earum aut nulla, aut non magna est penuria, id ei detrimento esse, vel me tacente intelligitur. Quare res, quas fabricae dominus parat, quum non iisdem laborent vitiis, non tantis vacillationibus sint obiectae, commodeque transportari possint, saepe eam ob causam maius emolumentum afferunt.

Alterum porro idque magnum fundi possessor habere videbatur, quo fabricae domino praestaret, quod collocanda sorte agrorum culturam amplificaret, et ex industria ac sorte sua per saecula in fundo soloque collocata, simul fructum caperet fabricae dominus non item. Ne hoc quidem negari nequit.

Capit vero fundi possessor hunc fructum unice eam ob causam, quod ex rei rusticae conditionibus fieri non potuit, ut maiores eius totum emolumentum sorte sua collocata perciperent, iustamque laboris adhibiti compensationem obtinerent. Nam si fructum ex meliore soli cultu ab ipsis instituto percipere potuissent, id haud dubie fecissent.

Sed natura rerum fert, ut sortis in re rustica positae fructus non celeriter percipiatur, et celeriter cum usura recipiatur, sed longiore demum post tempore. Ut igitur maiores, ita ne praesens quidem fundi possessor, quamvis velit, adhibitum laborem et collocatam sortem cum omni fructu et usura potest accipere, partemque fructus, quam ipse velit, possessori relinquat, necesse est. Non est in eadem causa fabricae dominus.

Qui quidem etsi non et ipse lucrum capit ex antecessorum sorte, tamen certo scit, se, aliqua sollertia ad eam rem collocata totum fructum eorum, quae susceperit, esse accepturum. Multo melius certiusque quam fundi possessor computare potest, quando sortem, vel cum bona ponat usura, vel saepe totam recipiat. Quid? quod, quum fabricae dominus res suas per se solus agat, ea de causa saepe fundi possessorem mirifice superat. Nam primum fundi possessor, quia pendet ex antecessorum sollertia, saepe non modo ea, quae sequuntur ex peccatis ab ipso

commissis, sed antecessorum etiam ferre debet, quum fabricae domino, nisi suorum peccatorum ratio reddenda non sit; deinde ea re, quod sine adminiculo est fabricae dominus, qui tantum secundum prudentiae, intelligentiae, peritiae regulas agere potest, non ut tam crebro fundi possessor simpliciter et more solito, ea igitur re, quod sine adminiculo est fabricae dominus, quia coniuncta est cum audacia quadam ac periculo, et quia ei simul est propositum difficile illud, quod praediorum possessori ignotum est, ut subauscultando excipiat, quas merces desiderent homines, qua in re admodum ratio sit habenda necessitatis, gustus, cultus, elegantiae, spem habet, se amplos fructus esse capturum.

Facile igitur apparet, fabricae dominum, quod sine adiumento sit, quod periclitetur ex illo, quod dixi, difficili, quod sibi proposuerit, ex tota denique sollertia sua praediorum possessore uberiores capiat fructus.

Iam vero ultimam illam rationem, cur prima specie sollertia fundi possessoris videatur uberior, quam fabricae domini, quod et natura illi opem haud mediocrem ferat, et eius sollertia sit liberior, non ut fabricae domini finibus certis angustisque terminetur, partim concedimus, partim negare nequimus.

Statuimus enim, Ad. Smithium sequentes interim, in mercium fabricatione auxilio a natura dato locum non esse; porro negari non potest, si ita velis, si opponimus fabricae dominum fundi possessori, illius sollertiam vinculo quodam coerceri.

Quid? ipse fabricae dominus, quia occupatione tam arcte circumscripta constrictus tenetur, nonne mentis et

cogitationis laborem magis ad hanc unam rem conferre potest? Dum fundi possessor nunc ad prata eluvione inundata, nunc ad agros, nunc ad pecora curam suam convertere et hanc rem, vel illam fieri iubere debet, quin saepe inciderunt res, quibus de rebus quam diversissimis uno eodemque tempore, si id fieri possit, consilia capere cogitur, dum imbres repente exorientes, vel siccitates, pecorum vel plantarum morbi, eum saepe cogunt, simul rationes inire maxime varias, eiusque sollertiam divellunt, dum magnus agrorum, quos colit, ambitus, eius curam et custodiam tam necessariam, quae ad totius rei rationem pertinet, aliquanto facit difficiliorem; fabricae autem domini sollertia in certa quadam re efficienda, ita in hac una mercium fabricatione versatur, ut alias res secundarias saepe nisi cum iactura non proferat. Non distrahunt eius sollertiam phaenomena inopinata nec evitanda, facile potest, ut gubernator, navem sibi commissam observare et huc, ut poscit navigandi peritia et prudentia, quo vult, dirigere continetur; etiam ea cura tam gravis uno aedificio, non magno agrorum ambitu, quem amplectitur praedium. — Quanto vero momento sit, si spectes tum quantitatem, tum qualitatem rei producendae, ad varia quaestuum genera circumscripta illa custodia uni rei dedita, iam significavimus, quum de sortium origine ex laboris divisione disputaremus.

Ac quemadmodum naturae auxilium in agricultura tam necessarium tamque valens variantia frumenti pretia fundi possessori tam damnosa efficit, ita hanc quoque perniciosam sollertiae eius distractionem.

Videmus denique, omnes rationes, quae favere prima

specie fundi possessori videbantur, id potius demonstrare, fabricae dominum ex sorte sua uberiores fructus capere posse.

Fabricae dominus certius fere ratiocinabitur, quam fundi possessor. Fabricae vim novit, accurate intelligit, quid praestent, pretium scit materiae crudae digerendae, non nescit, quantam mercedem solvere debeat, acute videt in universum rationem datorum plerumque etiam accepta satis accurate ad calculos vocare potest, satis certam spem habet, quando recepturus sit sortem collocatam, quid reliqui sit habiturus. — Multo minus in fundi possessione ratiocinari possis. Ex coeli temperatura inprimis pendet, utrum magnum an exiguum sit lucrum, variant fructuum pretia, inundationes, omnino phaenomena naturaeque rationes poscunt interdum sumptus inopinatos, mercedem valde auctam et quae sunt eiusdem generis.

Verum quid dicamus in hac altera disputationis nostrae parte de sollertia opificis fabricae comparata cum agricolae sollertia? Eventus talis comparationis hoc gravior est, quod cognoscimus, uter quaestus re ac materia maiora pretia gignere possit.

Redire debemus hoc loco ad magnam vim laboris quam aptissime divisi. — Quanta vi ad historiam cultus artiumque fuerit laboris divisio, iam antea (cf. Platon. Rempubl.) ubi explicationem ingeniosam Ad. Smithii de sortium origine attulimus, significavimus. Hoc loco nobis ostendendum erit, quomodo singularibus quaestuum generibus agriculturae et fabricationi, facultas a natura data sit laboris plus minusve dividendi ad maiorem, aut minorem fructum percipiendum.

Ad. Smithius in ipso libri initio, ut demonstret, quam infinita quamque ad vitae usum utili vi sit labor in singulari quadam re proferenda apte divisus, exemplum acuum fabricae affert. In ea acus fabricatio per duodeviginti operationes, ut ita dicam, sic distributa est, ut duodeviginti opifices, quum alium alius adiuvet, laborem suum in levissimae rei fabricatione collocent. Tali modo millies plus perficiunt, quam si sibi quisque per se solus acum fabricari velit.

Quum ex hoc uno exemplo satis appareat, incredibilem utilitatem ex labore apte diviso in vitam communem redundare, unusquisque opifex, quoad eius fieri potest, diviso labore fabricari volet. Reperimus igitur in unoquoque quaestus genere laboris divisionem iam inchoatam esse. Ne in agricultura quidem negligitur. Alius enim agro colendo operam dat, alius ovium curam gerit. Fines vero laboris divisi suapte natura in agricultura multo arctius, quam in fabricatione sunt constituti. Nam fieri nequit, ut aliquis tantum frumentum in area terat, aut tantum semen spergat, aliaque eiusdem generis agat, sed uti res postulat agricolae modo in prato, modo in silva, modo in agro labor est; nemini certa, ut ita dicam, laboris provincia destinata est.

In fabrica unusquisque parvo certoque cuidam labori adstrictus est. — Quin sicut theatrum, in quo illorum industria possit spectari, fabricae domino aedificium, fundi possessori campus longe lateque spatiosissimus erat, sic quasi campus hominis in fabricis opus facientis certa mensa, aut machina textoria; agricolae vero modo haec, modo illa maior planities. Dum singuli in fabrica opifices omnia in-

strumenta ad conficiendum laborem necessaria in illa mensa, aut machina textoria quam commodissime sibi componere queunt, agricolae iumenta sunt paranda, grave aratrum per longum spatium educendum est, priusquam opus incipere possit. — Saepe etiam in medio labore tempestate impeditur; ac dum vires suas per quaedam anni tempora supra modum intendit, per hiemem eas ad nullam rem satis utiliter commodeque adhibere potest.

Quia porro fabricae opifex totam operam uni eidem rei navat, saepe incredibilem eius facultatem adipiscitur. Cogitat et anquirit, qua ratione opus sibi impositum simplicius reddere possit, cui mentis agitationi luculentissima industriae inventa veluti epistomium (Ventil) machinae vaporum vi impulsae debent originem. Quorum commodorum agricola expers est. — Ex iis, quae dixi, probe intelligitur, opificem in fabrica plus adipisci, quam agricolam, plus commodorum ex illius labore nasci.

Quumque fabricae dominus haud ignoret, quae cuique opifici sint facienda, optimeque novit, quantum quisque praestare possit, etiam ad hanc normam rationem laboris sortisque in iis, quae suscipit, certius accuratiusque dirigere potest, quam fundi possessor.

Babbagius in libro, quem scripsit de machinarum et fabricarum natura (quem in sermonem Germanicum convertit Friedenbergius § 194) in commodis divisi laboris quasi novam rationem seu principium ponit, quum dicit, laboris divisione fabricae dominum potestatem in opificum vires obtineret. Utitur enim eo, qui quidem infirmo corpore est, sed ad subtilem manuum operam aptus ad hosce labores, et contrario, qui validus et robustus ad graviores.

Ita ex unoquoque homine et unaquaque vi, quum prosperitatis cuiusvis habet rationem, fructum capit. Qui fructus non aeque ex agricultura percipi potest, etsi in ea viris et mulieribus labor est. Nec tamen serere, aerare, demetere, messem facere aliaque tam inter se sunt diversa, quam, ut hoc utar, in acuum fabrica ille labor, quo fila metallica candefiunt, aut recte trahuntur ab eo, quo acus perfectae ordine chartae iniunguntur. Si igitur ita ratio laboris ac sortis in fabricando videtur opportunior, si melius in ordinem redigi potest, ut supra vidimus, ratio duorum illorum divitiarum fontium, ex qua variorum quaestuum fructus pendet, si porro laboris divisio in fabricatione multo minus certis finibus circumscripta est, quam in agricultura, etiam optime iure, ut spero, pronuntiabimus, etiamsi fabricatio tantum duobus bonorum fontibus adiuvetur, hanc tamen agricultura maiorem fructum reddere posse, in qua natura, non labor aliquid gignit et labor tantum ad naturae vim accedit.

Sed quae est ratio mercaturae, in qua sors mobilis praeponderat?

Varius sortis positae modus differentiam in fructu, qui inde capi potest, nobis ostendet. Ex differentia sortis stabilis mobilisque, quam supra attulimus, satis crederes, stabilem, quae in agricultura ac fabricatione novas res efficit ad victum, aut opus manu factum pertinentes, uberiorem fructum praebere, quam mobilem, cui prima specie tanta quidem procreandi facultas tribui non potest. Hac enim contemplatione defensores rationis physiocraticae ad eam opinionem adducebantur, ut putarent, mercatorem, quum nihil ipse ageret, et otiosus mercium pretia augeret, se

collocare intra homines producentes et consumentes. Nihilominus eventus docet, sortem mobilem uberiores fructus ferre, ac videmus quotidie mercatura maximas nobis divitias ac brevi tempore comparari. — Primum enim magis speciosum, quam verum est, sorte mobili nova pretia non effici. Merces transmarinae, quae in terris australibus non magno sumptu parantur, transportatione haud mediocrem pretii auctionem assumunt, quin etiam res in ipsa patria viles et contemptae transportatione magnum accipiunt pretium.

Vel affero natron nitricum, cuius ingens stratum longe lateque patens est repertum in regione, cui nomen est Atacama, haud procul ab portu Yquiquensi in Peru. Id Europae incolis tam pretiosum naturae donum in Peru, ubi mercium fabricatio magni momenti nunc quidem vigere nequit, non modo nihil valet, sed agriculturam omnino impedit.

Temporis locique commutatione mercatura haud dubie pretii auctionem atque adeo omnino nova pretia efficit. Deinde in universum sorte mobili pro sua natura quam stabili minus carere possumus. Etsi concessimus, sortem stabilem et mobilem in variis quaestibus vim inter se habere mutuam, mobilis tamen, ubi accedit ad sortem stabilem et efficientem vim maiorem, quam stabilis habet ibi, ubi mobilis producendi vim habere videtur. Pecunia ad agendum destinata (Betriebsfonds) etiam in agricultura ac fabricatione verus rerum gerendarum, ut aiunt, quasi nervus est. Sors stabilis ita pendere videtur ex mobili, ut ipsa ex illa originem duxisse videatur. — Ita Ad. Smithius:

»Every fixed capital is both originally dirived from,

and requires to be continually supported by a circulating capital. All useful machines and instruments of trade are originally derived from a circulating capital, which furnishes the materials of which they are made and the maintenance of the workmen who make them. They require, too, a capital of the same kind to keep them in constant repair.«

Etenim sors mobilis, si, ut sit efficax, stabili indiget, fontem in se habet, quo sibi hanc opem comparet. Verum si sors mobilis ita rerum nervus est ad efficientiam stabilis, ac si agricultura fabricatioque, duo illi quaestus, qui praecipue nationi res ad vitam necessarias comparant tam necessario, ut constat pendente sorte mobili, cognoscitur quanto sit momento hoc sortis genus in universum, quamque necessario in omni sollertia talis sors anquiratur, quantamque lucri spem praebeat.

Ac si iam secundum notionem ex multiplici illa sortis mobilis vi ad omnes occupationes concludere possis, fieri posse, ut uberiores fructus, quam stabilis ferat, multo magis etiam ille quaestus, in quo praecipuam sors mobilis habet efficientiam, nos ita statuere cogit. — In mercatura enim labor quidam proprie fructuosus adhibetur, ac terminus auxilii coniuncti sortis laborisque quam prosperrime est constitutus. — Quis vero est ille labor per sortem mobilem mercaturae tam fructuosus?

Disserit Sismondius in lib. IV. cap. 6 Oeconomiae politicae de elementis pretium cuiusvis rei statuentibus. Hoc initium est capitis illius pag. 388:

»Le salaire et le profit sont les élémens constitutifs du prix de chaque chose. Le salaire représente le travail immédiat, qui l'a accomplie. Le profit représente l'avantage qui résulte des travaux passés, au moyen desquels elle s'est accomplie plus facilement. Dans ce profit on distingue toujours deux parties, l'intérêt du capitaliste, qui n'est, que le pur loyer du capital, dégagé de tout travail et de toute compensation pour l'habileté de celui qui l'emploie et le profit *mercantile,* qui est cette compensation même, et qui, tout en se proportionnant à la somme du capital employé, participe cependant à la nature du salaire, car il s'accroit par l'habileté, et se perd par la négligence.«

Hoc igitur lucrum, quod »profit mercantile« ille vocat, et ad quod accuratius definiendum loco laudato dicit, id re vera definitum summa sortis adhibitae, simul naturam mercedis laboris habere, hoc igitur lucrum putandum est, quasi renumeratio generis laboris sane singularis, quem exercere debet mercatura. Hic labor lucro mercantili, ut ita dicam, numeratus, prorsus simili modo ut labor agricolae se convertit ad fundum solumque, fabricatoris mercium ad gignendas quascunque res manu factas, ad sapientem sortis mobilis usum, haec sors mobilis est quasi materia, quam tractet in mercatura mercator. Verum si res ita se habet, ac sorte mobili viget stabilis, sine cuius adiumento stabilis nullo est pretio; si igitur hoc sortis genus summo momento est ad unamquamque rem incipiendam, labor quoque recta via hunc quasi factorem, (sit venia vocabulo) omnium gravissimum sequens summam vim habet ad populorum opulentiam augendam, ac simul non est, quod dubitemus, quin singuli quoque homines uberrimos ex illa re fructus capere possint.

Collocatus est vero hic labor non modo in gravissimis

rebus, sed alias quoque proprietates habet, quibus superet ceteros omnes.

Pro singulari enim natura sortis mobilis, quae aliam ex alia forma induens hac ipsa vicissitudine fructuosa fit, labor hoc in genere sortis collocatus, sortem pro necessitate ac desiderio ponere potest, quam felicissime.

Mercator non cogitur navibus suis semper imponere coffeam vel saccharum, horrea eius accommodata sunt aeque ad lanam arboream, et ad frumentum; dum fabricator mercium per machinas pretiosas non hodie hoc, cras illud gignere potest, sed illis uti nequit, nisi adest desiderium fabricandae illius rei, et agricola sollertia tantum in gignendis nonnullis rebus terra procreatis versatur.

Sollertia igitur mercatoris multo liberior est atque eam ob causam vis mutua illa tantaque sortis laborisque multo prosperior, ac minus certis finibus coercita. Sollertia mercatoris id quod multo amplius est, talis est idque agit, ut quasi divinatione quadam ductus, sortis mobilis illius ope novam rem necessariam societati humanae impertiat. Qua ex sollertia, si eventum habet, secundum naturae leges magna exoritur utilitas populis lucrumque haud mediocre ei, qui eas res suscipit. Talis ad captandum lucrum stimulus est neque in mercium fabricatione, neque in agricultura pari modo datus; ac si etiam id lucrum ex lucri faciendi meditatione incertissimum est, ob ipsam illam incertitudinem uberius certo est. Sollertia mercatoris, qua inquirere studet ac sentire, quae res necessaria desideretur, quod quidem pendet ex maxime variis temporis momentis et opportunitatibus, est res eiusmodi, quam alii deferre nequeat. Praedia vel elocantur, vel administrantur, etiam

fabricae ab eo, qui non idem possessor eius est, administrari possunt, verum mercatorio negotio possessor, ut vigeat ac floreat praeesse debet. Homo enim cui illud commissum est, timide lucrum meditabitur; nemo tertius audebit illud periculum subire, quod inest possessori in hac lucri captandi meditatione. Sed in eodem illo periculo, ac discrimine inest causa, cur ex sorte mobili fructus uberrimos capere possit mercatura. Sic igitur etiam hac in re nova causa est posita, cur mercatura in sua sorte mobili, in lucro mercatorio (profit mercantile), in mobilitate, in periculo, in occasione praeter cetera ei data lucri faciendi meditationes suscipiendi (Speculationen) facultatem ex sorte laboreque fructus quam uberrimos capere habeat.

Ex his omnibus, quae hactenus disputavimus, facile apparet, mercium fabricationem mercaturamque, etiamsi iis, ut vult Ad. Smithius, tertium bonorum fons, fundus solumque desit, tamen agricultura esse posse fructuosiores, quod peculiaris quaedam ratio, qua sors in iis posita maiora etiam commoda proferre potest, quam eadem sors in agricultura collocata, et id amplius lucrum commodum illud et compensat, et superat, quod accipit ex solario agricultura.

Num porro verum est, in agricultura tantum naturam parentem hominibus amplas praebere divitias? Non sane. Immo vero id ipsum, in quo Ad. Smithii nititur argumentatio, non omnino rectum esse videatur.

Nam ut praeteream multa mercium fabricandarum negotia directo ad lucrum percipiendum in fundi solique divitiis naturalibus situm, pertinere, quippe quae iis praebeant laboris materiam, qua in re commemoro fodinas tam

graves mercium fabricationes, ut argillae, vasorum testaceorum (Steingut), terrae porcellanae, ut silentio praeteream in his populorum felicitati tam gravibus industriae partibus, bene de magno solario dici posse, natura etiam aliis modis multipliciter adiuvat. — Adest vis aquae ventique, vis expansionis vaporum, vis vectis, vis gravitatis, adsunt rationes chemicae solvendi componendique in quavis fere mercium fabricatione adiuvantes, uti fermentum, insolatio, vis crystallisationis, destillatio, haec omnia subsidia atque auxilia in fabricis natura hominibus praebet.

Itaque si haec omnia auxilia, quae sub diversissimis formis ac nominibus ubique, non in sola agricultura apparent, recte in ordinem volumus redigere, naturam in duas partes versam, missa quaestione, utrum sua sponte, an coacta, munera praebere amplissima reperiemus. Primum enim quum ab hominibus adiuta aliquid procreat, (agricultura) vel iam procreatum praebet (metalla); deinde quum vi sua ab hominibus bene adhibita, tanta opera efficit, quanta vix sit credibile effici potuisse. — Nondum ratione statistica demonstratum est, et quaeritur, num omnino demonstrari queat, quomodo res, quas gignit ipsa natura hominum ope in agricultura, et in variis fabricationibus, si pretium spectamus, differant. Nihilominus tamen facile apparet, in omnibus illis mercium fabricationibus, ad quas perficiendas chemia adhibetur, plane simile quiddam a natura procreari, atque in agricultura. Cum vi naturae, qua granum satum et germinat, et floret, et maturescit, recte comparari posse arbitror illam, qua efficitur fermentum in parando vino, cerevisia, vino adusto, in pane coquendo, qua fit oxydatio alcoholi in acetum, et quae sunt eiusdem

generis. — Verum magis in promptu est ac facilius demonstratur comparatio adiutoriae accommodationis variarum naturae virium in agricultura et in mercium fabricatione, in quibus haec naturae adiumenta hominem non modo labore liberant, sed idoneum etiam faciunt, qui opera perficiat ea, quae vi sua perficere nullo modo possit.

Sed quid de omnibus illis miraculis, quaecunque praeclara ac summa in variis mercium fabricationibus scientia et experientia, his ipsis naturae viribus adhibitis, loco imbecillitatis virium humanarum in lucem protulerunt?

Dum in fabricatione vires bestiarum, venti, aquae, vaporis, pressus atmosphaerae, multaeque aliae naturae vires compensant vires humanas, hominem in agris colendis adhuc nulla alia vis adiuvat, nisi pretiosissima illa, quam pauca bestiarum genera ei praebent. Et si Ad. Smithius dicit, in agricultura non modo servos et ancillas agricolae, angaros et mercenarios, sed etiam iumenta oneraria opus suum praestare, eodem iure quaevis machina vaporum vi impulsa in fabrica multorum opificum instar haberi potest. — Quemadmodum id quod maius est, iam supra in comparanda opificis industria, opificis in fabrica et agricultoris facile intelleximus in fabricatione singulis opificibus labores ipsorum virium habilitati proprietatique convenientes imponi posse, sic homo in fabricatione viribus naturae hominum vires compensantibus in ipsa recta proportione pro necessitate auctoritatem conciliare potest[1]).

Plane fabricae dominus in potestate sua habet machi-

---

[1]) cf. Charles Dupin Forces productives de la France. Paris 1827. Pag. 26—27. — Babbage, Maschinen- und Fabrikwesen. § 194.

nae vaporibus inclusis motae decem, aut quinquaginta equorum vires aequantis adhibendae. Non ita in agricultura res se habet.

Nec melius denique mihi videor et illustrare posse et indicare id, quod ubique non in sola agricultura videmus, quo modo homo naturam sibi subiiciat, quo modo ex iis, quae natura offert, tamquam ex fonte inexhausto novas deinceps divitias hauriat, quam si verba, quae Mac Culloch de sententia Ad. Smithii nostra dissertatione oppugnata dixit, huc afferam.

»This is perhaps the most objectionable passage in the Wealth of Nations; and it is really astonishing so acute and sagacious a reasoner as Dr. Smith should have maintained a proposition so manifestly erroneous as that »nature does nothing for man in manufactures«. The powers of water and of wind, which move our machinery, support our ships and impel them over the deep — the pressure of the atmosphere and the elasticity of steam, which enable us to work the most stupendous engines, — are they not the spontaneous gifts of nature? The single advantage of machinery consits, in fact, in its enabling us to press the powers of nature into our service and to make them perform a large part of what must otherwise have been wholly the work of man. In bleaching and fermentation the whole processes are carried on by natural agents; and it is to the influence of heat in softening and melting metals and warming houses, that we owe many of our most powerful and convenient instruments, and that these northern climates have been made to afford a comfortable habitation.

Owing to the advances that are almost constantly being made in the arts, it is abundantly certain that whatever amount at capital may be required at present to construct a steam-engine or to build a ship a less amount of capital will, at a future period, suffice for the same purpose; and how much soever these machines and ships may be multiplied, the last will be as efficient in saving labour and producing wealth as the first. But such is not the case with the capital employed upon the soil. Lands of the first quality are speedily exhausted; and it is in practice found to be impossible notwithstanding the frequent discoveries and inventions made in the business of agriculture, to go on applying capital indefinitely even to best lands without in the end obtaining a diminished return.«

PARS ALTERA.

Ex his, quae adhuc disputavi, adducor, ut contendam, sortem in mercatura et mercium fabricatione collocatam secundum ordinem et legem naturae saepe facultatem maioris atque celerioris lucri in se habere, quam eam, quae in fundo soloque posita est. Ac si paullulum praecipua argumenta, quae nos adducunt, ut ita statuamus, repetimus, ea maximam partem et propriè continentur explicandis sententiis, quas Ad. Smithius ipse tam praeclare est exsecutus.

Erant autem haec argumenta laboris pro singularibus rationibus varie adhibiti quam maxima divisio, et varia laboris et sortis genera, et varia vis mutua horum duorum ubique et in omni quaestus genere una adiuvantium fontium, unde divitiae oriuntur, qui et in mercatura, et in fabricatione cum agricultura comparati maioris lucri ex adhibita sorte capiendi facultatem dabant. Argumentationes, quas ex his Ad. Smithii sententiis colligebamus, etiam si ponimus, naturam in mercatura ac fabricatione hominibus auxilium suum negare, tamen satis ostendebant, quantopere haec duo quaestus genera agriculturae praestarent. De industria, ab Ad. Smithii sententiis, quoad eius fieri poterat, non discedebamus. Imprimis sententiam, quam de

solario Ad. Smithius affert, ex qua pessimum agri solum aeque atque optimum, simulatque aliquo modo cultus est, solarium praebet, non impugnavimus.

Attamen viri summa auctoritate praediti, ut Ricardius et Mac Culloch se applicantes ad quaestionis nostrae locum, prorsus huic sententiae contradixerunt et Ricardius quidem novam sibique propriam rationem de solario est persecutus. Longum sane est hanc Ricardii rationem singulatim perscrutari; quare in universum dicam haec:

Pro qualitate fundi, progressa demum cultura, iis agris, qui maxime culti sunt, maiorem fructum concedit, quam, quae sit compensatio sortis ac laboris impensi i. e. solarium.

Pro certo igitur sumit, ut rem exemplo sibi magis perspicuam faciat, si usu veniat, ut ager adhuc incultus colatur, optimum fundum primum a multitudine incolarum coli, deinde fructu suo, nisi compensationem sortis et laboris adhibiti non praebere, tum frequentia eorum crescente et una cum ea crescente alimentorum necessitate, etiam agros, qui sint minus uberes, colere operae pretium esse, ita ut tum ea, quae ex hac agricultura percipiantur, usuram sortis et mercedem laboris praebeant. Sic, pro eo ac frequentia incolarum et necessitas rerum ad victum necessariarum crescat, laborem et sortem cum lucro ad fundum qualitate sua etiam multo minus fertilem converti. Ex omnibus igitur his variis agri culti generibus is, qui postremo cultus est, semper nisi usuram sortis ac laboris mercedem non praestat, reliqua omnia praeter haec etiam aliquid, quod quidem pro qualitate eorum plus aut minus esse potest. Hoc aliquid est, uti vult Ricardius, solarium.

Etsi abducat nos, ut iam supra diximus, a proposito, si hanc rationem accuratius persequi velimus, tamen ad rem meam pertinere videtur, eamque ob caussam ignoscatur huic digressioni, considerare, quam vim Ricardius solarium, sub conditionibus quidem, attamen semper ab ipso probatum ad societatem humanam habere contendat. Hoc maxime patet ex loco, quem affert ex libro Buchanani, qui inscribitur »observations on productive and unproductive labour«; ubi ille dicit haec (cf. Ricardo Grundsätze der politischen Oekonomie nebst erläuternden und kritischen Anmerkungen von J. B. Say, übersetzt von Chr. Aug. Schmidt) S. 67.

»Dr. Smith, der den Theil des Boden-Ertrages, welcher die Boden-Rente bildet, für so vortheilhaft für die Gesellschaft hält, hat nicht bedacht, dafs die Boden-Rente nur die Wirkung der Theuerung ist, und dafs der Boden-Eigenthümer dasjenige, was er auf diese Weise einnimmt, nur auf Kosten der Consumenten gewinnt. Die Gesellschaft gewinnt nichts, wenn der Acker Bodenrente trägt; nur eine einzige Klasse gewinnt auf Kosten der anderen. Sich einbilden, der Ackerbau gebe einen reinen Ertrag, weil die Natur sich beim Cultur-Geschäft mit der Industrie der Menschen vereinige und dafs daraus die Boden-Rente ihren Ursprung nehme, ist eitel Träumerei. Nicht durch das Product, sondern durch den Preis, um welchen das Product verkauft wird, entsteht die Boden-Rente, und diesen Preis erhält man, nicht weil die Natur bei der Production mit hülfreich gewesen ist, sondern weil er unmittelbar aus dem Verhältnifs der Consumtion zum Vorrath hervorgeht.«

Haec expositio, quam Ricardius ad confirmandam sententiam suam affert, ideoque plane agnoscit, optime demonstrat, tantum abesse, ut in eo diligentissimi oeconomiae politicae investigatores, si omnino solarium agnoscunt, sicut Ad. Smithius fecit, magnam felicitatis partem ponant, ut in compensatione, quae pro hoc tertio bonorum fonte solvitur, necessarium quoddam malum societatis humanae esse velint. Credunt enim, ex solario, si adest, ac solvitur, singulis tantum, aut paucis civium classibus, non universis commodum oriri et id quidem commodum, quod ex iure dominii, quod in aliqua civitatum cultura omnino necesse esse videtur, male consequatur.

Ac si in tantis tamque gravibus dubitandi causis de industria tamen ab Ad. Smithii sententiis, quoad eius fieri poterat, non discedebamus, et tamen principia, quae ille vir sagacissimus ipse proposuit, omnesque sumptiones ab ipso probatas ac demonstratas sequentes ad longe alium eventum longeque aliam conclusionem de lucro sortis vario modo collocatae pervenimus, quaerere prope cogimur, quid iudicandum sit de duobus illis libris, quos Ad. Smithius, ut ipse fatetur, fretus illis explicationibus prius oppugnatis, de agricultura ad sententiae suae comprobationem scripsit.

In hac praecipua libri sui parte demonstrare studet, quatenus et quae instituta disciplinae publicae impediant, ne laete efflorescat agricultura, neve principem, si lucrum spectamus, locum obtinuerit.

Quum igitur, ut vidimus, omissis illis institutis disciplinae publicae, quae aut adiuvant, aut impediunt, sorti in mercatura et mercium fabricatione collocatae secundum

naturam suam facultas maioris quaestus insit, quam in agricultura positae, et agricultura sic quodammodo secundas agat partes, nonne explicatio verbosa earum rerum, quae impediverunt, quominus agricultura fructuosissimum quaestus genus fieret, plane supervacanea esse videatur? Quid? Ad. Smithius, ut imagine utar, cum duos illos libros, quasi commentarium quendam ad suas de agricultura sententias tuendas, iure impugnatas faciat, nonne magnum quoddam aedificium, quasi imaginarium in fundamentis minime firmis exstruit?

Nullo sane modo, si ea, quae illis libris sunt explicata, sequimur, persuadere nobis possumus, remotis artificiosis illis impedimentis publicae disciplinae, futurum fuisse, ut agricultura fructuosissimus omnium quaestuum fieret; at non solum modum transeat, sed etiam iudicio plane labatur, si quis illas argumentationes eam ob rem, quod ea, quae probare velint, probare non possint, omnino contemnendas ac reiiciendas esse arbitretur.

Immo vero amplum thesaurum scientiae rerum civilium et oeconomicarum acerrimo studio partae in illis duobus libris summus ille Scoticus nobis reliquit, in quibus quam luculentissime ostendit, quantopere noceant impedimenta, quae per instituta disciplinae publicae efflorescentibus variis industriae generibus obiiciantur. Ac silentio si praeterimus id, quod Ad. Smithius demonstrasse sibi videbatur, agriculturam suapte natura esse fructuosissimum quaestum, id certe eum perquam egregie ostendisse manifestum est, agriculturam propter opiniones male perceptas de politice et oeconomia politica cum ea arcte cohaerenti debitam dignitatem atque honorem adeptam non esse.

Principia illa, quae tota saecula movebant, quorum alterum: fundus dat opes, alterum: pecunia dat opes, impediebant, ut Ad. Smithius ostendit, in universum liberam ac naturalem omnium quaestus industriaeque partium amplificationem, impediebant etiam ibi, ubi adiuvare volebant; neque enim, ut veram populorum prosperitatem augerent, sed ut longe alia sequerentur, iniustissime singulis industriae partibus favebant, quum universis nocerent, maxime vero ac magno cum detrimento florem agriculturae impediebant, in qua ad populorum non modo opulentiam, sed etiam recte honesteque vivendi rationem maximum est momentum.

Frustra autem quaerimus in iis, quae utroque libro explicantur, praeter criticam illorum vitiorum, quae partim ex politicis, partim ex politico-oeconomicis pendent rationibus conatum quendam Ad. Smithii ineundae viae, qua demonstret, quomodo agricultura uberrimus, ut ipse vult, quaestus fons, artificio quodam dignitate crescere possit et artificio quodam principatus tam diu per saecula negatum honorem ad salutem humani generis, quocunque modo fieri potest, obtinere. Frustra quaerimus praecepta et consilia, quibus sors in mercatura, ac mercium fabricatione, ut ipse censet, tam male posita ad agriculturam transferatur, et per hanc sortem ingentes illae soli inculti plagae, quae etiam in regionibus cultu humanitateque maxime florentibus inveniuntur, colendae suscipiantur. — De talibus malis artibus, quae sensu plane contrario, quum fabricationem multo modo adiuvarent, ad maximum damnum agriculturae per saecula per systema illud mercantile adhibebantur, Ad. Smithius, quum id agat, ut agriculturam ad debitum di-

gnitatis fastigium evehat, nihil omnino dicit. Immo vero missis omnibus privilegiis et commodis praecipuis, ex quibus causis orta sunt et quo in genere vitae civilis prodierunt, ostendere potius studet, in libera cuiusvis quaestus excolendi ratione in removendis omnibus iis, quae per instituta publica partim impedientia, partim speciose adiuvantia sunt adhibita, viam esse, qua quum cetera quaestus genera, tum agricultura ad veram suam dignitatem adduci possint. Ad. Smithius minime angustae sententiae, quae non modo ante eum saeculis illis, sed etiam ipsius aetate dominabatur, ex qua in rebus politicis, sive politico-oeconomicis *unus* populus, *unus* civium ordo, *unus* quaestus, atque adeo singularis quidam homo cum magno ceterorum detrimento opes ac divitias sibi comparare conabatur, et in hoc angusti animi studio se praecipitans se ipsum atque alios decipiens, nunquam veram potentiam atque opulentiam poterat adipisci.

Minime igitur angustae illi sententiae favens Ad. Smithius vult potius, harmoniam quandam, quam perfectissimam esse in vita politica et politico-oeconomica, neque singula quaestuum genera incommodo universorum ad florem speciosum et imaginarium pervenire, et sic varia quaestuum genera inter sese pugnare, sed hanc dimicationem, quum decipere studeat alium alius, in intimam amicitiam societatemque optime coniunctam mutari, in qua quisque quaestus pro suo momento, suo loco ceteris omnibus fulcrum praebeat et ceteris fulciatur atque corroboretur.

Quam longe absit Ad. Smithius, ut credat, in efflorescenti aliquo quaestu esse detrimentum alius, sed quam potius statuat, magnam ac paene insuperabilem vim reciprocam inesse in efflorescenti quovis quaestus genere ad ceterorum amplificationem manifesto elucet ex iis, quae explicavit de vi, quam fabricatio et mercatura efflorentes sub finem medii aevi ad amplificationem agriculturae habuerint.

Frustra, ut Ad. Smithius ostendit, multae legislationes medii aevi operam dederunt, ut conditionibus feudalibus, aut alio modo potentiam nobilitatis unitati politicae et robori civitatum officientis et eam ob causam privilegiorum suorum modum transeuntis frangerent; et ita agricultura quum fundus in manibus nobilitatis non fons quaestus, sed potentiae praesidium haberetur, magno populorum detrimento nulla fere cepit incrementa. — Ceterum contra has difficultates, quas omnes illae legislationes tollere non potuerunt, primum sub finem medii aevi felicibus armis pugnavit amplificatio fabricationis et mercaturae. Quibus rebus quum mirifice animi ingeniique cultus immutaretur et augeretur, ac simul efficeretur, ut nobilitas suas divitias luxuria et profusione perderet, non in liberalitate potentiam affectanti poneret, factum est, ut una cum temporum inclinatione et labenti nobilitatis potentia, illud rete, ut ita dicam, rumperetur, quod interdum reipublicae et civium communioni minans et saepe agriculturae progressus impediens nobiles civitatibus Europae tetendisse videbantur.

Ita ostendit Ad. Smithius, etiam illo tempore, quo dici non potest de libera illius rei amplificatione progressum in quibusdam quaestus generibus, et in mercatura ac fabricatione factum, maximam habuisse vim reciprocam ad agriculturae incrementa; minime igitur credit, amplificationem mercaturae et fabricationis impedire, quominus agricultura efflorescat.

Ita Ad. Smithius tantum abest, ut agriculturam artificiosa ratione et cito impulsu altius vibrare conetur, ut summam et perfectissimam quandam quasi harmoniam politicae et politico-oeconomicae vitae esse velit; in qua harmonia quum videat progressum populorum ad prosperitatem et potentiam politicam, iis, quae illis libris explicantur, civitatum gubernatoribus, quam lenissime ac simul gravissime praecipit, ut desinant naturalem amplificationem impedire, neve currentem temporis quasi rotam inhibere conentur, sed agriculturae per saecula in naturali sua amplificatione retentae vincula caute demere incipiant.

Atque ut saepe in multis magnificis artis picturae, et poeticae, et musicae operibus videmus, illa opera quamvis diversissima ratione animos nostros capere ac tenere soleant, tamen unum quasi punctum in luce quam clarissima ponere, sive heros ceterorum virtutes splendore suo obscurans, versibus celebretur, sive quaedam figurarum complexio, tanquam animus tabulae pictae repraesentetur, sive melodia quaedam saepius repetita, quasi nucleus sententiae musicae, animo ac menti audientium mandetur, ita in libro Ad. Smithii, qui tam varie nos edocet animosque agitat et plane novas cogitandi et intelligendi quasi vias aperit, invenimus, unam sententiam, quasi melodiam, ut ita dicam, per omnes phases explicatae rei personare.

Nam sive de sortis vi et origine loquitur, sive de magnificentia industriae, sive sagaciter et ingeniose necessitatem impensarum quarundam publicarum definit, ubique hanc sententiam persentimus: labori cultus et humanitatis gradum, quem adhuc consecuti sumus, unice debemus, per solum laborem e certamine cum natura inito homo victor

discedere potest. Et ubique et in duobus illis libris reperimus praeter criticen singulatim praeclare explicantem falsa instituta disciplinae publicae istam sententiam, qua demonstratur, magna illa vitia emendari restituendo libero labore, praecipue autem ad salutem et singulorum et universorum non artificio quodam, sed secundum naturam agriculturae maiorem vim tribui.

Ac si Ad. Smithius sperat, a libero labore remedium omnium suae aetatis malorum, praeter cetera autem progressum agriculturae esse profecturum, si in explicationibus duorum illorum librorum hanc sententiam etiam atque etiam commendat; profecto indicat viam unice rectam, qua fieri possit, ut populi in potentia politica ac prosperitate faciant progressum. Ea ipsa re exoritur eo tempore, quo longe aliae opiniones vigebant, propugnator eius sententiae, quae post illum per insequentia tempora nunc turbido, nunc tranquillo modo hunc progressum consequi studebat.

Recte igitur statuit Ad. Smithius, per instituta disciplinae publicae incrementa agriculturae, qualia fuissent in libero excurrendi spatio, mirifice esse impedita; nec vero in dubitationem vocari potest, quin eiusmodi impedimenta a rerum publicarum gubernatoribus tolli possint. Ostendit Sismondius, diversissimas agri colendi rationes adhuc esse in civitatibus Europaeis (Nouveaux principes d'économie politique pars I, lib. III de la richesse territoriale. Paris 1827).

Distinguit exploitation servile, exploitation par corvées, per angarias, exploitation par capitation (Obroc in Russia) exploitation par bail à ferme, rationes conductionis, par

bail emphythéotique, censum emphyteuticum, par métayers ou à moitié fruits, l'exploitation patriarcale, liberum dominium. Quamquam haec distinctio fortasse non prorsus accurata est et sufficiens, ostendit tamen, quae sint primariae agriculturae conditiones. Politico-oeconomicam rationem sequens Sismondius, ut Ad. Smithius, omnibus his variis agriculturae conditionibus praefert exploitation patriarcale, liberam possessionem.

»Aucune organisation sociale ne garantit plus de bonheur et plus de vertue à la classe la plus nombreuse de la nation, plus d'opulence à tous, plus de stabilité à l'ordre public.«

Quilibet parvus possessor suam amat possessionem, quodvis commodum ex parvo agro suo capere tentat, vires suas et parvam sortem suam quam aptissime adhibet, optime laborat in libertate possessionis et laboris pro se ac suis. Verum id non ita intelligi velim, quasi dicam, omnem agri possessionem in parva praedia esse distribuendam; etiam magna praedia habent singularia quaedam commoda; sed in his quoque concedatur libertas possessionis et liber labor.

Quamvis secundum historiam nexus feudales, angariae similiaque pro singularibus temporis rationibus iure bene fundata esse videantur, facile tamen accidere potuit, ut progressu temporis eorum fieret commutatio; atque haud scio, an in ulla Europae civitate hae rationes tam bene tamque feliciter sint constitutae quam in Borussia.

Lex data die IX mensis Octobris anni 1807 sustulit servitutem hereditariam; edictum datum die XIV m. Sept, a. 1811 rationes possessorum praediorum et rusticanorum

sic constituit, ut possessoris hereditarii (bäuerliche Besitzer) cessione tertiae agri partis sive in fundo, sive in aliis compensationibus in frumento, reditu (Rente), pecunia praedii possessori (Gutsherr), cui eius rei ius est ad duas partes prioris possessionis, possessores non hereditarii cessione dimidii, simili modo possessores eius, quam adhuc tenebant, possessionis fierent. Ordo distribuendi agri communis, datus de VII m. Iul. 1821 vias indicavit, quibus communis, qui adhuc ex agris capiebatur, fructus tolli et ager in partes possessionis divisus singulis tradi posset. Ac si, his rebus constitutis, tamen aliquis nexus parvi agri possessoribus cum praediorum dominis solvendo annuo reditu intercedebat, duae leges datae d. II m. Martii a. 1850 de liberando reditus onere et de instituendis redituum aerariis (Rentenbanken) hunc quoque nexum ea re sustulerunt, ut rusticanus reditus suos civitatis administratoribus solveret eosque eodem tempore aboleret (amortisiren), civitas autem litteris redituum (Rentenbriefe) praedii dominum compensaret. Illud igitur ab Ad. Smithio vituperatum amplificationis rei rusticae per positiva instituta publica lege tolli et liber labor ac libera possessio induci potest.

Ac si Ad. Smithius in duobus illis libris principia indicat agriculturae amplificandae atque emendandae, in quibus efficiendis multo post illius mortem legislatio reipublicae longe omnium optime legibus institutisque temperatae amplius quinquaginta annos ad civium salutem indefesso studio elaboravit, secundum omnia, quae hactenus disputavimus, tantum ab ea sententia aberimus, ut putemus, hanc gravem partem operis de nationum opulentia, (wealth of nations), agriculturam esse fructuosissimum

quaestum, quia per eam demonstrari nequit, nullo in numero esse habendam, ut credamus potius magnitudinem Ad. Smithii ex iis demum, quae in illis libris tam praeclare disputavit ac docuit, quam luculentissime intelligi, et sententias, quas ibi profert, summo esse momento. Systema industriae ab Ad. Smithio excogitatum, quam rationem habeat ad systema mercantile et physiocraticum, et quam rationem id ad vitia politica suae habeat aetatis, illa gravi libro de nationum opulentia in luce clarissima ponitur.

Quod attinet ad locum, quem agricultura, opposita ceteris quaestuum generibus tenet, etsi priore dissertationis nostrae parte satis demonstratum esse videatur, non agriculturam suapte natura, sed mercium fabricationem et mercaturam facultatem maioris lucri ex sorte collocata capiendi habere, id tamen nobis dicere non licet, agriculturam minus esse fructuosam, aut minore momento, aut plane omittendam, omniaque potius in eo verti, ut in sorte collocanda in mercatura et fabricatione reipublicae administratio adiuvet. Ac simili modo tam longe ab hac falsa sententia absumus, quam longe Ad. Smithius abfuit, ut contendat, agriculturam, quam ipse statuit fructuosissimum esse quaestum, debere incommodo ceterorum suum augere commodum. Efficientia vero variorum quaestuum concorditer sociata erat id, quod nos quoque, sicut Ad. Smithius, unice salutare esse cognovimus. Et in hac ipsa efficientia concorditer sociata cognoscitur vis et gravitas agriculturae et ad corroborandam politicam nationum potentiam et ad verum progressum floremque ceterorum omnium quaestuum.

Agricultura est fundamentum, in quo varia vitae civilis communitas unice certo quasi exstrui potest. — Nam quoad

longissime antiquitatis memoriam repetere possumus, populos ab agresti et rudi vivendi genere ad cultum humanitatemque agriculturae ope progredi videmus.

Sed omittamus hanc vim, quam agricultura ad hominum animos mitigandos et ad civilem vitam cultumque traducendos habet.

Si hodie in tantis progressibus scientiae et technicae fabricatio mercium et mercatura ad tantam magnitudinem, quanta vix possit credi, pervenerunt, tamen etiam in iis, quae maxime humanitate ingeniorumque cultu florent, civitatibus Europae, multo maior hominum pars imprimis in agris colendis versatur, id ipsum iam satis documento est, cum universorum salute quam arctissime esse coniunctum, si hic maximus factor, ut ita dicam, societatis humanae ad summum, quoad eius fieri potest, robur perveniat, nec paupertate et oppressione in naturali explicatione virium suarum retineatur. Nam vere magnificus mercaturae et mercium fabricationis flos, nisi homogenea et naturali amplificatione agriculturae nitatur, in maioribus societatibus politicis cogitari vix potest.

Videmus profecto et in antiquitate et in medio aevo parvas urbes civitatesque mercatura merciumque fabricatione, rem rusticam haud sane magni facientes resque ad vitam multitudinis necessarias sibi ementes, ad magnas opes pervenire, easque civitates maximam habuisse vim ad progressum. Tam ille earum flos optimo iure cum igni flammam sursum rotanti comparari potest, qui, ut subito sursum se rotat, ita subito exstinguitur, ut hodie vix exstet vestigium splendoris, qui illas illustrabat. — Nunquam opes hoc modo fundatae, nunquam potentia sic orta viribus et

robori talium populorum restitit, qui agriculturam augustissimam habebant, eaque freti, quamvis paullatim ad maiorem culturam progrediebantur.

Poenus omnibus orbis terrarum divitiis ac prudentia sua potentissimus succubuit fortitudini Romani; Sidon et Tyrus imperio Alexandri orbem terrarum peragrantis se subiicere sunt coactae. Tam citus et a natura discrepans flos per solam mercaturam et mercium fabricationem in civitatibus magnifice institutis et in culturae progressu ad effectum adduci vix potest.

Urbs, ut Venetiae aliaeque, ad alendum civium frequentiam frumentum et alias copias ad vitam necessarias sibi emere, et civium sollertiam tantum ad mercaturam ac fabricationem convertere potest; at civitas, quae multas incolarum milliones, ut ita dicam, numerat, quamvis et situ, et coeli temperatura ad vegetissimam mercaturam ac maximam mercium fabricationem invitetur, nunquam tamen impune negligere agriculturam et alimentis importatis milliones civium suorum sustentare potest.

Nam ut nihil dicam de eo, quod talis agriculturae neglectio propter commercii rationes fieri nequit, civitas, quae non ipsa res incolis ad vitam necessarias profert, ex aliis civitatibus pendeat, unde ei in politica ratione summum periculum oriri possit. — Crebris sermonibus usurpatur, quantae frumenti copiae in Britanniam importentur, nec tamen hae copiae, quotannis importatae (s. v. R. Peel) sufficerent ad populum Britannicum quatuordecim dies alendum. Sic certe res se habebat ad annum usque 1845 secundum Roberti Peelii orationem habitam in sessione evocatorum populi Britannici d. IX. m. Febr. 1842. — Abrogatio legum frumentariarum hanc rerum conditionem sane mutavit. Britanni multo plus frumenti ab exteris nationibus emunt, quam antea fiebat, et e contrario mittunt eo merces fabricarum suarum. Videtur Britannis magis lucrosum, merces ex lana et lana arborea factas ex abundanti conficere et multo diffusius, quam antea, exportare, in his mercium fabricationibus sortem collocare, quam in agricultura. — Semper autem frumentum etiam hodie ad $^3/_4$ aut $^4/_5$ partes victus necessarii in ipsa Britannia producitur (cf. Mittheilungen des statistischen Bur. in Berlin, Jahrg. 1853, S. 117—122).

Etiam in maioribus civitatibus, in quibus mercatura merciumque fabricatio praecipue florent, agricultura minime negligenda est, videmus potius eam vel maxime in iis mercatura merciumque fabricatione cum utraque auctam, arctissime coniunctam et quasi concretam, ad culturam ac florem prope incredibilem pervenisse. Et contra. Mercatura ac fabricatio maxima laetissimaque capere potest incrementa in ea demum civitate, quae quasi fontem civium alendorum in se habet, quae, praeter omnes divitias, quas ei natura ad exercendam industriam et mercaturam praebet, etiam thesaurum in fertili fundo obrutum habet atque hunc tantum thesaurum effodere scit, quum amplificationi agriculturae, quae in libero tantum labore ac libera possessione laetissime efflorescere potest, rationibus angustis ducta impedimenta non obiiciat. — Ac si ita, ut plane secundum naturam est, tantum modo in efficientia agriculturae, mercium fabricatione mercaturaque concorditer sociata, et a civibus, et a reipublicae administratoribus recta via ad progressum potentiae politicae et opulentiae nationum initur

in dies magis falsa ista opinio evanescet, qua fabricatio et agricultura non solum ratione physica, sed etiam oeconomica et quaestuosa sibi contraria sint, quam opinionem inprimis Thaerius in prooemio ad tomum quartum rei rusticae rationalis magna cum gloria oppugnavit. Dicit enim ibi: »Man setzt Production und Fabrication gewöhnlich gegenüber und glaubt, dafs sie in physischer Hinsicht nicht nur, sondern auch in ökonomischer, oder gewerblicher dermafsen einander entgegenständen, dafs die Grundsätze, die bei letzterer gültig sind, bei ersterer durchaus keine Anwendung fänden, und dafs folglich der Producent sowohl, als der Staatswirth in Ansehung beider ganz verschiedene Maximen annehmen müsse.

Verschieden sind sie allerdings, und jede hat ihr Eigenthümliches; aber dies Eigenthümliche ist nicht so antipolarisch und nicht auf eine so grelle Weise verschieden, wie man gewöhnlich angiebt. Noch weniger ist der Unterschied in Ansehung der entgegengesetzten Grundsätze begründet, die man nur zu häufig zum Nachtheil der ersteren angenommen hat.

Schon länger und klarer sind die Grundsätze und Regeln ausgebildet und dargestellt, welche man zum glücklichen Betriebe des Fabrikwesens angenommen und beobachtet hat. Sie können Fingerzeige für das Productionsgewerbe angeben, wenn man aus der Aehnlichkeit des letztern mit dem erstern die Anwendung jener Regeln auf dieses folgert.«

Si ab hac Thaerii sententia proficiscimur, in dies magis nobis continget, ut agriculturae tam gravi rei et politica et oeconomica ratione ea commoda, quae collocando labore

et collocanda sorte, percipiendo ac subigendo fundo naturali continentur, tribuamus, quibus, ut demonstravimus, fabricationes tam celeriter efflorescebant et tantas opes adipiscebantur.

Vel cum periculo, ne repetendo molestus sim, maxima, quae fabricanti sors ac labor praebet, commoda praecipue haec affero:

1. quod sortem adhibitam celeriter vendendo recipere potest;
2. quod accurate ad calculos vocare potest, quanta pecunia collocanda sit in materia rudi indigestaque et in alimentis ignis parandis, quanta in machinis faciendis, pro tempore assiduo usu conterantur;
3. quod mercium vectura, si cum aliis comparaveris, non magnos sumptus poscit;
4. quod perfectam laboris divisionem aptamque virium laborantium dispositionem instituere potest;
5. quod omnes chemicae et technicae progressus ad fabricae suae utilitatem statim apte adhibere potest;
6. quod in mercium fabricatione e natura non pendet.

Non omnes illas opportunitates pariter habet agricola. Neque enim, id quod quartum posuimus, in laboris divisione tantum progredi potest, quantum fabricae dominus, quia labores uno eodemque tempore fieri non possunt; nec tam liberam in operarios et machinas habet vim, quam fabricae dominus. Homines infirmiore corporis habitu, qui ad merces fabricandas semper adhiberi, raro in agricultura adhiberi possunt. — Machinam vaporum vi motam, quae par est unius vel viginti, triginta, quinquaginta equorum viribus, fabricae dominus quovis loco instituere potest, in

agricultura bestiae, si ita dicere licet, machinae vaporum vi motae partes agunt, quarum vires, non ut in tali machina, ad arbitrium voluntatemque nostram augere possumus, quae in morbos incidere possunt et moriuntur.

Fabricae operiarius, id quod sextum erat, laborat in conclavi, ventis et tempestatibus expositus non est, nec pendet ex aquae vi, nisi ubi molae sunt; agricultura ad emendandam tempestatem, ex qua maximam partem pendet, aut nihil aut non multum afferre potest.

At habet sane agricola nonnulla propria commoda. Nam etsi solarium non tam certum lucrum est, quam Ad. Smithius censet, agricolae tamen negotium est eiusmodi, ut naturae hominis aptum sit; maior pars hominum in maioribus civitatibus ad agriculturam se convertere cogitur, ac multi simplices in ea labores ab unoquoque incolarum praestari possunt; non est, quod, quemadmodum in mercum fabricatione, operose eae res instituantur, nec fere desunt, qui in ea operam suam collocent, dummodo debitam mercedem accipiant. Natura denique annis prosperis interdum etiam tam praeter exspectationem bonam messem praebet, aut frumentum in tanto pretio est, ut agricola tantum lucretur, quantum raro fabricae possessori continget.

Ex iis vero, quae modo enumeravi, commodis domini fabricae, agricola magnam certe partem sibi vindicare potest.

Potest porro per se, modo negotiatio frumentaria libera sit, sortem collocatam celerius recipere, potest, quo altius rationalis agricultura radices agit et quo magis mens, ingenii cultura, ordo etiam ad agricolam procedit, etiam per se in codicem rationem accepti et expensi accurate referre

et certius constituere, quam id in minus excultis rei rusticae conditionibus fieri solet (2). Inprimis vero nihil impedit, quominus agricola per se progressibus scientiae naturalis et technicae ad opus suum optime uti possit (5). Id, quod chemia organica docet, quid sit stercorandi vis, quomodo stercus arte factum adhibendum sit, et multas alias quaestiones chemiae statim in usum sibi vertere potest. — Quo modo technicam sibi vindicare possit, intelligimus ex iis rebus, quas »Drainage« et »Canalisirungen« nostri vocant, aliisque, quae quotidie maiora capiunt incrementa; in Britannia iam coeptae sunt machinae vaporum vi motae ad arandum adhiberi.

Ac si in eo magnum esse momentum videtur, quod fabricae dominus minore sumptu merces suas transportare potest (3), orbitae ferreae (Eisenbahnen) hanc dubitationem rei rusticae omnino tollunt, quum lapides, ligna, frumentum, pecora hodie facile transportari possint.

Huc accedit, quod fructus solani tuberosi (Kartoffel) in liquorem acriorem, sive spiritum, frumentum in farinam, brassica napus (Raps) in oleum mutari potest. Quo magis secundarii in re rustica quaestus progressus faciunt, eo minus etiam res rustica sumptuosas habet vecturas eorum, quae producit.

Sic ubique videmus, quaestionem maximi momenti in harmonia quadam amplificationis omnis industriae humanae versari, omnia impedimenta liberae amplificationis esse removenda, mercaturam et industriam cum re rustica intimo vinculo coniunctam esse debere et rem rusticam omnia paene fabricationis commoda percipere posse.

Sic una cum crescenti hominum frequentia et progressu,

in dies partim fundus diligenti manuum labore coletur, partim melius ex iam culto illae opes in eo datae ad alendos populos percipi poterunt. Ac tum sane in progressu omnium industriae partium secundum naturam sensim ac pedetentim, facto illud, quod Ad. Smithius vehementer cupit, eventum habebit; neque enim iam magna soli spatia in territoriis civitatum maxime cultu atque humanitate florentium inculta iacebunt et in dies magis illa sententia erit vera.

»Pauperrimus homo in civitatibus cultura vigentibus ditior est, quam praepotentissimus tyrannus gregis Africanici, ex cuius arbitrio libidineque vita multorum millium pendet.«

Denique mihi sententiarum huius dissertationis ordinem per capita comprehendere liceat:

Ad. Smithius non recte statuit, si agriculturam, iam propter solarium, tanquam fructuosissimum hominum negotium esse vult. Sunt multae propriae rationes, quae multis occasionibus in mercium fabricatione et mercatura maiorem quaestum afferant, quam in agricultura. Eamque ob caussam Ad. Smithius longius progreditur, si censet nihil nisi instituta disciplinae publicae et civitatum impedivisse, quominus agricultura ubique, si lucrum spectes, primum obtineret locum. Negari non potest, eiusmodi institutis agriculturae amplificationem retineri potuisse. At haec instituta mutari ac tolli possunt, ut in Borussia nuperrime legislatione agraria factum est. Impedimenta institutorum publicorum removentur, si principium liberi laboris ac liberae possessionis, ut conditio gravissima agriculturae

praeponitur. Magnum Ad. Smithii est meritum, quod hanc ipsam postulat conditionem, et quod, sublatis privilegiis et gratificationibus, liberam amplificationem laboris humani in mercatura, industria, fabricatione agriculturaque postulat. Quo libero labore ac libera amplificatione concessa, agricultura maximam partem propriorum commodorum suorum, quae collocanda sorte et dividendis operariorum viribus continentur, facile sibi vindicare potest, quas res mercium fabricatio et mercatura praecipuas habent. Nam exoritur efficientia concorditer sociata in omni hominum agendi ratione, quae sic demum prospere ad progressum et opulentiam populorum ducit. Ad hanc harmoniam in virium atque occupationum humanarum amplificatione primus Ad. Smithius de certa animi persuasione viam munivit, hanc harmoniam, quasi acerrimum stimulum omnium quaestus rationum in clarissima luce posuit, in hac autem coniunctione verum est, agriculturam, quod res omnium maxime necessarias ad sustentandos homines praebet, quod occupatio naturae maxime est accommodata, in qua etiam rationes ethicae laeta capiunt incrementa, maximum ac gravissimum quaestus esse genus, et civitates, quae mercatura tantum merciumque fabricatione sese augere ac fundare student, diu permanere nullo modo posse. Hoc sensu Ad. Smithius recte statuit, si eam partem istius sententiae, qua contendit, commodissimum esse quaestum agriculturam, de qua dissertatione nostra disputavimus, his verbis concludit:

»Of all the ways in which a capital can be employed, it is by far the most advantageous to the *society*.«

VITA.

Ego, Carolus Ferdinandus Dieterici, Berolinensis, evangelicae confessioni addictus, natus sum die XXVII mensis Decembris huius saeculi anno XXXV patre Friderico Guilelmo in hac alma litterarum universitate professore ordinario et matre C. Guilelma e gente a Wedell, quos adhuc vivos summa pietate veneror. — Gymnasium Friderico-Guilelminum, quod directore F. Ranke V. C. floret, frequentavi. Maturitatis testimonio ornatus in hac alma universitate iuridicae facultati adscriptus sum ab Rectore Magnifico V. D. E. Mitscherlich anno MDCCCLV. Per annum audivi praelectiones Ill. Trendelenburg, Ill. Keller, Ill. Mitscherlich, Ill. Magnus, Ill. Dieterici. Tum ad Academiam Heidelbergensem me contuli, ac per semestre Ill. Mohl audivi; deinde Berolinum reversus per tria semestria praelectionibus Virorum Illustrissimorum, Gneist, Berner, Stahl, Trendelenburg, Riedel, Mitscherlich, Sonnenschein, v. Raumer interfui. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias quam maximas ago.

THESES.

1. Liberum laborem liberamque agri detentionem summa ad amplificandam rem rusticam esse auctoritate, contendo.
2. Non solum in agricultura, sed etiam in fabricatione mercium mercaturaque tertius bonorum fons existit.
3. Falso auctores illius rationis, quam nos »système physiocratique« vocamus, fabricatores mercatoresque nominarunt »inproductives«.

END OF
TITLE